

ORATIO 1.

DE VITA ET OBITVS SPE-
CTABILIS ET MAGNIFICI DO-
MINI GABRIELIS PERENII COMITIS CO-
mitatus Aba wyuariensis perpetui, Supremi Regiae Curie in
Regno Vngaria Iudicis, Musarum Mæcenatis
beneficentissimi &c. Habita

A

BASILIO FABRICIO ZYKZAI, LVDIM A-
gistro in Sarospatak. Anno Christi 1567.
D. Iulij 28.

Annum Natiuitatis 1532, Vitæ
35. & obitus ipsius 1567,
Complectens,

BellaCis TVrCæ StIrIa VrItVr eCCe CaterVIS,
NaSCerIs Vt GabrieL CLaras InVeCtVs ad aVras:
Nona neC aCta tibi est Vt OLyMplas, abstVLit eheV
Te patrlæ InfracCæ LVX ab peraCerba Perene,

F. 689 ad alul akk

F. 681. L.

DEBRECEN

Witebergæ Excudebat Iohannes Crato.
Anno M. D. LXVIII.

KÖTÉLTARA

ORATIO AD ZOILVM.

- Z** Oile quid frendis, rabido cur dente minaris?
Forsitan immeritam dilacerare cupis.
A lterius prolem crudeli rodere morsu
Desine, sed segetem demete falce tuam.
N ò magnus labor est quoduis reprehendere scriptū,
Difficile est sobolem sed generare parem.
P arce igitur miseram nāsō suspendere adunco,
Non sum iudicio subiциenda tuo.

ZOILVS LOQVITVR.

- M** Evulgas diris solet insimulare querelis,
Quòd carpam diētis optima quæq; meis.
Q uæ bona sunt linquo, perstringo digna notatu,
Hoc scriptum vitio vertere nemo potest.
F abricius quoniam laudans benè gesta Patroni
Singula blandicijs & sine fraude refert.

T .M. P.

EPIGRAMMA
IN COMMENDATIONEM
ORATIONIS FVNEBRIS, GRATI
QUE AVTORIS ERGA PATRONVM
iam defunctum studij & obseruantie.

Aλγεια δυσίνοις τότε ἀπετέλη εῖτι Βροτοῖστν.

Ηρωας κορυφερὸς μοῖραι ἐληταὶ ὄταν,

Ἡ γέμονες λαῶν γῆ ποιμένες εἰσὶν ἀγανοὶ

Θραδύτες σώζειν τὰν γέρας εῖτι νόμες.

Pηματία Παννονικὴ γοῦμαν δὲν πολλὰ βαρύνει,

Αρχοντες γῆ Φῶς ἡλιού λίπουν.

Kαὶ ΠΕΡΕΝΗΟΣ ὃν οἱς ΓΑΒΡΙΗΑ θάνε ἄγλα.

Ιοεν δὲν θανάτες ἔξεδάμησε βέλος. (ῆρωες,

Eψήμετες νῦν καίνας ἀεικέα πότμον ἀνίστησε,

Ω βασίλεις πάτερες κῦδος δέριστν ἔων.

Aρχόντων ἔτος μαλα εἴσοχος ἵμις αθει πάντων,

Οἱ τὰς Παννονίνες ναυετάγοι πόλεις.

Aπετε γέρου κεδῆι ἀλόχω, Εἰ κήδεα λυγέα

Οτεηροῖς σίναχον καὶ θεράπευσι φέρεν.

Aρρήτον δὲ ἄκον Φρονίμοις, πένθος τε πολίτων,

Τῶ δε μέγαν μεσῶν θρῆνον ἐθηκε χόρω.

Oυδὲ ἄλλως καίνας λαοὶ πλανάγοι θανόντος:

Αινοκόπιο Φυγῆ ὡς σκαλαπάζει οἰς.

Tηντός εἶτι πόνος πτίων αὐτὰς ἔργα γινώσκειν,

ΙΦ θύμων, δήμωοι καλὰ ἔργαν δὲν.

Sύμφορος δὲν καὶ σὺ βασίλης σιναγίσματα κάζει

Ηρωί, γονεων δὲς κλυτὸν εσκετέκος.

Aλλα τὰν διεργεσιῶν χάρεν ανταποδένεις

Σοὶ πρέπει, ὃς παρεῖται τοῦ πολλὰ δέοντος λάθες.

- Ε ἵ ἀχαριστοῦ ἀνὴρ ὅσις μὴ λῶνι Θεὸν ἀκηδόν,
 Ποιησόν λήθην ἀλλὰ καταιχομένη.
 Τ ὡς ποτὲ ἡρώων μεγαθύμων ἐργυματ' ἐφώνων,
 Ισαίᾳ αὐτὸν δρεπάνι εἰκόνας ἦδε τάφον.
 Κ οὐ πάλαι ἡμίθεος ἔκάλεν Βασιλεῖς μὲν μοῖραν:
 Εξειτι πεάζεις εὖ βιότοιο λέγαν.
 Ο ὑπερ ιερομήτωρ γὰρ ἀγακλυτὸς λῷ ἐνὶ δῆμῳ:
 Εθλὸς ἐών δρεπῆς καληρόνομος Θεοπάτεικης.
 Α ἴδιον δὲ Σίον Διάργα νῦν νόσφι μεριμνῶν,
 Ευλογέσθησάν σων μακάρεσσι θεόν.
 Α Λλὰ σὺ ὁ Βασίλεις διδάσκαλε λῶτε, κατὰ μὲν
 Ανδρὸς κυδαλίμιας ἔξοχα ἔργα λέγων.
 Μ ἥποτε ἀφρεσδεων τὰ κερίματ' ἀβέλτερα τεῆστος,
 Ανδράστι πευκαλίμοις ηδρεσαδαὶ ἄλις.
 Ει ἵ οὐτι δρεπέων αὐτὸρας τὸ δρεπέων φιλέοντας
 Εσετημὸς ψυμνοῖς ἀξιόδη ἔρδυαι.
 Ο ὑπερ σὺν τάδε ἔργον ἐπιθυμησόν δρεισν,
 Τοῖα δὲ ἐν καρδιῇ ἔηματα λέξει ἔη.
 Ν οὐ ὅδε ἐθλὸς αὐτὸς, ηδη ὑπισειμηροθεοπάτει
 Ορθῶς καὶ ουαλᾶς τὸν οιωνεῖσαιψε λόγον.

Thomas Monos
 Patachinus.

GENERO SÆ ET MAGNIFICÆ
DOMINÆ HELENÆ ORSZAG, CONSORTI
quondam Spectabilis & M. D. Gabrielis
Perenij, Basilius Fabricius

S. D.

Voniam Generositati tuæ sic placuit, ut o-
ratio quam habui in funere Illustris et Ma-
gnifici Domini Gabrielis Perenij, Mariti
tui beatæ memorie, Mæcenatis autem mei
optimi, in publicum exiret, non potui iustæ postulatio-
ni refragari, quamvis varia iudicia scripti eius euulgat-
ione, apud iniquos talium officiorum censores me su-
biturum, tacite prospicerem. Tanta enim peruersitas,
ne dicam improbitas est plerorumq; in hac maligna sy-
cophantia corruptissimorum seculi nostri iudiciorum,
ut tales etiam pietate religiosa præstandas, magnis
præsertim viris, debitæ obseruantiae, mentisq; gratæ te-
stificationes publicas, non vereantur in finitram rape-
re partem, in ysq; malitiosè carpendis liuidæ naturæ fœ-
dum morbum, studiumq; maledicentiae liberalibus in-
genijs detestandum, turpissem prodere. Cum aduer-
sus larvas luctari, mortuorumq; omni iam humano iure
defunctorum manes Theonino dente lacerare, sordidum
semper, profanum & impium fuerit habitum. Econ-
tra ciuilior antiquitas etiam apud Ethnicos, rebus hu-

manis exemptos, ac de Repub: præsertim benè meritos, in
Heroum ac semideorum numerum piè retulit, eos sa-
crosanctos, amplissimis honoribus, cultuq; propè diuina
venerandos iudicauit. Quod ipsum officium in vera Ec-
clesia, quæ de reuerentia viris Principibus & viuis &
mortuis debita, diuina etiam lege sancita, rectius sentit,
multò magis præstari ab omnibus bonis conuenit. Qua-
re Criticarum quidem & calumniosarui, si quæ futu-
ræ sunt, censurarum delicias, pascendis Momis, quibus
η νανολογία ὄφος ἐστι, relinquentes, nihilq; segniores, mor-
dacitatis istius petulantis metu redditi, pium officium
semel institutum constanter urgere, hocq; qualecunq;
est ieenum & inelaboratum scriptum, sub nomine Ge-
nerosæ M. T. ad quam in primis tractatio ista pertinet,
emittere decreuimus. Cui suscepto arguento utinam
aliqua ex parte respondere potuissimus. Illud bona con-
scientia affirmare ausim, voluntatem optimam, peccatus
candidum, Principisq; mei defuncti studiosissimum, ad
scriptionem istam me attulisse: Ita tamen ut contra
veritatem, fauori vel gratiæ, quam certè apud mortu-
um venari non potui, nihil omnino tribuerem. Volui eti-
am acerbissimos orbitatis angores, quibus M. T. plus
& quo macerari ac penè contabescere audio, ista quali-
cunq; obseruantiae debitæ significatione, pro meo loco
solari. Illis autem G. T. immodicè indulgere, nec decet
nec utile est: Non tantum quòd imbecillam alioqui

mor-

morbisq; atrocibus fractam valetudinem, mœrore isto
frustra conficies: Sed etiam quod minus æquum est il-
lius mortem tam pertinaci luctu deflere, cui hac migra-
tione nihil omnino mali, imò æterna requies comparata
est: Sic enim vitæ immortalis felicem sortem inuidere
illi videberis. Habes præterea (quod multum leuare
dolorem tuum debet) in Aula viros honestissimos, dig-
nitate, Prudentia & Virtute præstantes quam pluri-
mos, Marito etiam tuo viuenti fidissimos, qui in hac or-
bitate, negocia tua omnia priuata & publica magna
cum fide & industria administrant. Inter quos, iudicio
etiam non obscuro morituri Principis nostri, facile emi-
net, Nobilitate Generis, sapientia, fide & integritate
Insignis vir D. Franciscus Melithius, arcis Diœsiq; Dr
Præfectus, qui memor beneficiorum plurimorum à
Principe suo liberaliter ab ineunte ætate collatorum,
obseruantiam suam gratæq; mentis obsequia defuncto
etiam, cum magna constantis fidei laude comprobare
nititur, onerag; uaria Gubernationis magna ex parte su-
stiens, solerti industria res omnes M. T. procurat.

Quod reliquum est, ut hanc tenuem propensi stu-
dij nostri significationem, qua memoriam Illustris &
Magnifici Domini Mariti Generositatis tuæ pro no-
stra mediocri facultate ornare studuimus, pro innata
clementis naturæ bonitate M. T. in optimam, sicut &
offerimus partem accipiat, oro.

Dominus

Dominus Iesus, æternus Dei Patris Filius, con-
foletur ærumnas priuatas & publicas M. T. eandemq;
sospitem & incolumem in annos multos una
cum Patria melius quam nunc con-
stituta, benignè tue-
atur.

Ex Sarofatak Idibus
Aprilis 1568.

ORATIO

FVNEBRIS A D

TVMVLVM SPECTABILIS ET
MAGNIFICI DOMINI GABRIELIS PERENII,
Comitis perpetui terræ Abawyuariensis, supremi Cu-
riæ Regiæ Iudicis &c. Domini & Patroni studiorum
benignissimi : Habita sexto Cal. Sextil. Anno Christi

1567, In frequenti conuentu Procerum & No-
bilium Regni ad exequias con-
gregatorum,

A BASILIO FABRICIO ZYKZOVIANO
Ludimagistro in Sarospatak.



VM PVBLICVM ISTVM PROVINCIAE
vniversæ luctum considero, priuatamq;
singulorum ordinum mæstitudinam, lugubri
quog; habitu testificatam intueor, Spectabi-
les & Magnifici Domini, Generosa Nobilitas, vosq;
Ciues totius ditionis istius honestissimi, qui omnes vna-
nimi consensu ad persoluenda Optimo Principi nostro
iusta funebria, ultimum istud pij & constantis erga
defunctum studij specimen declaraturi, conuenistis:
non possum equidem non vehementer commoueri animo,
ita vt prænimia anxiæ mentis perturbatione penè ex-
animer. Tantæ enim & tam multæ mæroris longè
acerbissimi causæ se afferunt, vt vox dolore interclusa

B

quale

quale dicendi faciat initium vix possit reperire. Deplorat tristem orbitatem suam Patria, infinitarum et rerumnarum mole oppressa, dissidijs ciuilibus, seditionibus furialibus miserè dilacerata, ideoq; salutaribus, sa- pientibus ac pys Gubernatoribus nunc maximè indi- gens. Conflictatur mærore grauissimo, reliquis ordo Procerum, vniuersaq; Vngarica Nobilitas, quæ in tot funestis cladibus, distractionibus, bellis ac ruinis Regni miserandis, Principis huius Virtutem, Sapientiam, fi- dem ac prouidentiam in primis expetebat. Lugent Ec- clesiæ Pannonicæ, Nutritio, ac Protectore pientissimo, statu rerum ad Religionem pertinentium tristissimo, or- batæ. Squalore conficitur Schola ista, quam velut ex naufragijs rei literarie passim miserrimis istis tempo- ribus disturbatae, ac dissipatae, Princeps Optimus ma- gno studio colligere cœperat, quod tanto Patrono spoli- ata sit, in cuius pietate & benignitate, omne suorum successuum collocauerat præsidium. Ipsi deniq; parie- tes ac tecta, Vrbis Templiq; huius, quæ nuper ipso viuo florebant, mæstitiam doloremq; publicum videntur a- gnoscere. In hoc communi omnium luctu, Spectabiles & Magnifici Domini, Generosaq; Nobilitas, ipse quoq; multum consternatus sum, flebiliq; singulorum orbita- tem suam deplorantium querela ita exacerbatus, vt mea qualiscunq; vox, quæ testimonium obseruantæ debitæ, gratæq; mentis erga Patronum & Mæcenatem Optimum,

Optimum, in postremo isto pietatis necessariæ officio edere debebat, lacrymis penè absorbeatur. Sed quoniam sine nefario ingrati animi scelere tacere omnino non possumus, Testificatioꝝ publica pietatis erga laudatissimum Principem, de Ecclesia ac Rupub. Vngarica optimè meritum edenda, reddemus exequias debitas Mæcenati & Fautori non tantum studiorum nostrorum benignissimo, sed Parenti etiam & Præsidi reliqui arum Regni afflictissimi optimo, quantum anxietas animi, nostraq; balbutiens infantia, in ista temporis angustia patientur: Non tam ideo, vt laudum ipsius plenum aliquod instituamus præconium, quam vt iustissima pietatis & obseruantiæ debitæ obsequia persoluamus, ne amplissimorum illius in Rempub. & Ecclesiam meritorum parùm grati æstimatores fuisse videamur.

Atq; vt hinc initium orationi meæ, seu potius querulæ lamentationi faciam, Spectabiles & Magnifici Domini, Generosaq; Nobilitas, iustissimè deploratur Vngariæ desperatissimæ, nulla vñq; humana cogitatione exhaustiæ calamitas, quæ sanè Fatis iam olim nobis aduersis, ideoq; ad extreum Gentis interitum cuncta deuoluentibus, ad eam recidit fortunam, vt à continuis cladibus nunquam queat respirare, sed a crescente indies acerbiorum malorum cumulo, sœuius exagitetur nouaq; indies funestorum casuum quasi pro-

cella agminatim ingruente, obruatur. Nec existimo
ullius ingenij tam fœcundum esse flumen, non si vel
Tulliani vel Demosthenici possideat eloquij diuinam
vertatem, quæ magnitudinem malorum nostrorum
æquare possit oratione, vel digna satis lamentatione
prosequi. Maiora enim sunt & atrociora quæ patimur,
partim ex arcanis Fatorum decretis, quæ suæ tantum
cognitioni reservata esse Deus voluit, partim peccatis
nostris multiplicibus ad pœnam iustum iam olim ma-
turescitibus, quam ut vlla humana eloquentia satis
deplorari queant: Adeò ut vel fidem non mereantur
apud exterros, extra sensum adhuc miseriarum nostra-
rum positos. Qui sanè immodica, nimisque Tragica
exaggeratione nos vti aiunt, in malis quibus premitur
commemorandis, etiam si ea, quæ vidimus oculis, &
sustinuimus ipsi, longè mitius quam res se habeat,
apud illos exponamus. Quæ ipsa inclemens, securi-
tatis perpetuae Comes, naturalis est in hac hominum
stupenda duricie, ut ocio perenni voluptatibusque dif-
fluentes, & altissima pace beati, frigidissimè semper
afficiantur alienis incommodis, quorum præsertim ex-
pertes & immunes se mansuros sibi persuaserunt: Imò
tanquam ad terrendos tantum peregrinos & commo-
uendam apud credulos miserationem, conficta, inhu-
mana ~~παρογενεσία~~ derideant & exagitent, tantum
abest ut solarium vel auxilium ullum afflictis conentur
afferre.

afferre. Quibus equidem, aliud non imprecör, quam vt
tranquillitatis istius, qua læti perfruuntur, auream feli-
citatem diuinæ bonitati acceptam referant, eamq; ad le-
uandas mitigandasq; debitiss officijs vicinorum sociorum
angustias, non ad calamitates alioquin per acerbias cu-
mulandas conferant. Quin memores mutabilitatis ac in-
constantiae rerum humanarum, nostro malo potius
quam suo, hostem truculentissimum, per quem nos
ad extrema redacti ægrè iam languentem spiritum du-
cimus, metuere incipient, ac sanguine fortiter pro liber-
tate Auita profuso, à turpissimæ seruitutis, quo nos iam
dudum premimur, iugo se liberent: non tam vitæ huius
caducæ conseruandæ studium, quam propulsandæ Ty-
rannidis ipsa morte durioris necessitatem sibi proponen-
tes. Sed iam his breuiter ex iusto quodam dolore
præmissis ad institutum reuertamur. Quamvis autem
plurimæ & maximæ nunc quoq; mœroris longè gra-
uissimi causæ, Gentem afflictissimam nostram confici-
ant, ista tamen calamitate lugenda vehementer exasper-
ata est, quod amisit Heroëm Præstantissimum, Ve-
tustate & Nobilitate Generis Insignem, Illustrem &
M. D. Gabrielem Perenum, cuius non tantum Auis
& Pater, duo lumina Virtutis Pannonicæ illius Aui-
tæ, amplissimos quosq; gesserant honores: Sed ipse eti-
am laudabilibus Maiorum vestigij generosè insistens,
inde ab adolescentia, ad dignitates quasq; post Regy

fastigij culmen splendidissimas, tanquam per gradus
conscenderat.

Vt autem breuem Historiam totius curriculi ipsius rerumq; maximè memorabilium, quæ in Gubernationem Togatam & Bellicam inciderunt, pro ratione præsentis temporis texamus: Natus fuit hic Gabriel Perenus, Anno Christi 1532, in arce Therebes Familiæ Perenæ sede vetustissima, 9. die Augusti: Patre Petro Pereno, Emerici filio, quorum excellens virtus, fortitudo, pietas, sapientia, ac in Gubernatione Reipub. multis asperis rebus perspecta fides, solertia & vigilancia ab omnibus nunc quoq; una voce celebrantur. Quæ ipsæ dotes Heroicæ, Palatinatum etiam Regni Supremum, quæ proxima Regiæ dignitas est (veteribus Præfectura Prætorij appellata) ambobus pepererunt. Quo in Magistratu, summa cum laude & admiratione omnium, magnoq; cum Patriæ emolumento, versati sunt. Ac Emericus quidem Perenus, Principis nostri Auus, Stephani Pereni fuit filius, Mattheia regnante, Procerum Vngariæ Potentissimi, cuius frater Franciscus Perenus in expeditione Austriaca strenuam & fidelem Matthiæ Regi cum nauaret operam, in oppugnatione cuiusdam arcis fortiter dimicans occubuit. Eius sepulcrum Posonij visitur, addito præclaro elegio, quod quingentorum annorum Familiam Pereniacam virtutis suæ gloria auxisset & illustrasset. Emericus Perenus

Perenus ergò, melioribus adhuc natus temporibus, nec
dum urgentibus infelicem Patriam tot fatalibus cladi-
bus, paulò tranquilliores Gubernationis cursum, usq;
ad placidam senectam habuit, sapientia, virtute, digni-
tate, opibus & gratia inter omnes Regni Proceres flo-
rentissimus, Matthiae Regi, cui in varijs bellis egre-
giam nauabat operam, carissimus. Quo defuncto, sub
Rege Vladislao, qui Matthei successerat, Palatinus
Regni summus fuit, quem Magistratum usq; ad exitum
vitæ laudabiliter administravit. Mortuo Vladislao,
Gubernator Regni ab Optimatibus creatur, cum Lu-
douicus per ætatem impuberem, parùm esset idoneus
Imperio, propter continuas Turcarum incursions dif-
ficilimo. Nondum enim Ludouicus annum ætatis un-
decimum exceperat, cum Pater Vladislaus, Anno
Christi 1516 moreretur. Obijt Emericus iam ætate
grauius, honoribus & dignitate prope Regia Clarus,
Anno Christi 1519. quinto Februario, biennio ante ca-
ptum Belgradum, Cuius corpus in Oppido Therebes se-
pultum iacet. At Petrus Pereni, quem hic noster Pa-
trem habuit, ætas in turbulentia admodum & luctuosa
incidit tempora. Cum iam post expugnatum à So-
lymano, Anno Christi 1521. Belgradum, acceptamq;
paucis post annis funestam illam cladem Mohacianam,
(ex qua & ipse Petrus vix evasit) Regni antea po-
tentissimi vpes ita accise essent, ut exigua aut nulla
potius

potius spes appareret, eas in statum pristinum posse
restitui. Respub. enim Vngarica factionibus Procerum,
qui cladi illi superfuerant, partim has, partim illas par-
tes exitiali ruentis Patriæ Fato souentium, duorumq;
Regum infelicissima Pannoniae sorte, de titulo magis
Regni quam Regno dimicantium mutuis bellis, lacera-
batur tristissime. Hacq; occasione non segniter vtens
Tyrannus Turcicus suis rebus non deerat, sed paulatim
longius ad Imperij sui terminos dilatandos progredie-
batur. In hac rerum perturbatissimarum fatali despe-
ratione, cum collabentis iam & ruentis Reipub. reli-
quias omni ope, consilio, viribus, colligere, fulcire, in
spemq; meliorem Vir acerrimus, & ad summa quæq;, si
tempora virtuti fauissent, natus, conaretur erigere,
pro salute Patriæ grauissima quæq; non recusauit adire
pericula, nec laboribus, nec opibus, nec deniq; vitæ sue
parcendo. Ideoq; in maximas sæpè, & penè inextri-
cabiles incidit difficultates. Nam à Solymano quoq;
Imperatore Turcico, Anno Christi 1532. ad obsidionem
Viennensem iterum repetendam exercitum immensum,
ducente, per Baronensem inferioris Pannoniae tractum
vini generosissimi feracitate post Syrmium, facile prin-
cipem, ubi & Petrus Perenus circa Soklyosum &
Valponium ditionem amplam usq; ad Drauum flumen
obtinebat, ad vicum Beremenum captus fuit. Ac
post terribilem illam expeditionem in oppugnatione

Castelli

Castelli Kozogh multum retusam, regresso Solymano,
Belgradum in custodiam deductus, hincq; dimissus est
multis aureorum millibus numeratis, filioq; Francisco
admodum puerο, Obside dato, quamvis publica fide à
Tyranno ad colloquium euocatus fuisset. Metuerat e= nīm Solymanus, ne Vir acer, præaltosq; gerens spiritus,
et alioqui inter Proceres Vngariæ, qui iam supererant,
Imperio validissimus, aliquid hostile à tergo relictus
moliretur. Quin antea quoq; pari iniquitate fortunæ
circumuentus, in captiuitatem periculosam ad Caido= chum deuenerat: Sed non multò post liberatus, multa
egregiè pro vtilitate publica, quamdiu vixit, tentauit,
ita tamen vt fortibus ausis, minus æquam vt plurimum
fortunam, Fato scilicet Patriæ iam inclinato, experi= retur. Tandem criminacionibus iniustissimis male= uolorum & inuidorum apud Regem Ferdinandum op= pressus, ad Strigonium tertio capitul, Anno Christi
1542, ac in sex annorum carcere indignissimo, mæro= rore & squalore confectus vitam claudit: Anno Chri= sti 1548. Etatis vero 47, cum iam antea hanc vr= bēm Patachensem ipse non integro duorum annorum
spacio fundasset, mænibusq; cinxisset, nec non præ= clara virtutis, industrie ac sapientie suæ monumenta
posteritati imitanda reliquisset. De cuius Viri varia
fortuna, rebusq; gestis & Paulus Iouius Consuli po= test, quamq; parum æquus nonnunquam famæ illius in

mutationibus quibusdam publicis nimis acerbè trutinandis. / Quæ cum promiseria fatalium temporum, Consilia etiam Petri quanquam erga Rempub. optimè affecti, vna secum necessariò traxerint, Censura benigniore examinari, & candidè molliri debuerunt. Illud exemplum pietatis ipsius prætermittendum non puto, diurni illius carceris pædorem & nauseam, animo nullius culpæ conscio, ideoq; forti ac excuso cum toleraret: ut honesta aliqua pioq; Principe digna oblectatione nonnunquam reficeretur, tediumq; captitatis animo excuteret, Historias Veteris & Novi Testamenti insigniores colligebat, appositissimeq; inter se comparatas, pictoris, quem ad hunc usum alebat, manus scitissimè curabat efformari, subiectis etiam versiculis, picturarum collatarum harmoniam concinnè complectentibus. Quæ quidem picturæ venustate Italiæ & subtilitatis non carentes, nunc quoq; extant. Testamento condito iniunxit Gabrieli filio, ut doctrinæ prioris tunc iam per Ungariam passim latè serpentis patrocinium constanter in ditione sua susciperet, Doctor resq; Euangelij, contra omnium aduersariorum molitiones tueri exemplo suo pergeret, auxilium certum in eopio studio propagandi cœlestis veritatis cognitionem, & Deo habiturus. Sed his breuiter pro necessitate presentis narrationis, insertis, ad historiam institutam veniamus.

Ex

Ex hoc itaq; tam excellentis virtutis Prosapieq;
antiquissimæ Parente, cum esset prognatus Princeps
noster, statim à prima pueritia, indolis præclaræ, vir-
tutumq; Auitarum Illustria semina cœperunt in eo se
ostendere. Adeò enim non degeneratus videbatur, à
Generosa Maiorum suorum laude, vt potius magnum
decus ac lumen in suam Familiam, si superuixisset, im-
portaturus existimaretur. Cum ergo & ingenij in eo
esset vis acerrima & bonitas naturæ excellens, ad li-
terarum studia adhibitus est, vbi primum per ætatem
disciplinarum capax esse potuit. Ac deinde in tota ado-
lescentia, viros pios, honestos & eruditos, magna cum
cura & delectu conquisitos, doctrinæ, institutionis,
vitæ & morum Magistros à latere semper habuit, vt
quæcunq; ad summam expectationem & laudem na-
tum, ad Gubernationemq; Reipub. & quidem durissimis
iam cladibus concussæ, olim accessurum scire oportet:
In ijs omnibus magna contentione Præceptorum
& fide excoletetur. Proinde cum & ingenio natu-
raq; sponte ad laudem & decus incitata, ad summa
quæq; consequenda pronus raperetur, in omnium hone-
starum artium, virtutum, ac pietatis præsertim veræ
studio, laudabiles fecit progressus. Missus est postea in
Aulam Ferdinandi Cæsaris, à Matre Clara Zekelia
Præclaræ Nobilitatis ac virtutis Fæmina, Parente
jam extinto, vbi optimis exemplis, quorum isthic fæ-

cunda tunc erat copia, ac seueriore disciplina, quam do-
mestica, (quanquam & ea satis accurata fuerat) in-
stitutus, Generosæq; & Auite laudis non tantum tu-
endæ, sed etiam amplificandæ alioqui cupidus, magnam
omnibus expectationem de se concitauit. Vbi domum
redijsset, ac iam ætas coniugio non planè esset immatu-
ra, nec successorem ullum legitimum, si absq; liberis de-
cederet, habiturus videretur : Vxorem admodum Iu-
uenis suasu quorundam Procerum duxit, Anno etatis
20, 19 Octobris, Anno Christi 1552, ex Nobilissima
& Antiquissima Stirpe eorum Principum, quibus fi-
des & virtus eximia in defensione Patriæ duris sœpè in
rebus spectata & explorata, cognomen REGNI de-
dit. Duxit ergo filiam Ladislai ORZAG Hele-
nam nomine, pietate, pudicitia, modestia, fide & amo-
re erga maritum, reliquisq; dotibus, quæ Generosis
Matronis decus & laudem conciliare solent, Ornatissi-
mam. Cum qua, licet liberis nullis susceptis, aman-
tissimè ac coniunctissimè totos annos quindecim vixit,
in vera Dei agnitione & inuocatione, varijsq; Regni
periculis sociam & adiutricem eam habens. Cum au-
tem hic Princeps noster natura etiam esset ad placidita-
tem quandam morum & placabilitatem propensus, ab
omni sauvicia & truculenta feritate alienus, lectione
etiam Historiarum assidua, qua impensè delectaba-
tur, aliorumq; utilium scriptorum cognitione, naturæ
boni-

bonitatem adiuuans, ad singularem moderationem, lenitatem ac clementiam, cum iusta tamen & Principe digna grauitate temperatam, se composuit. Quoties à cura Reipub. vacatio aliqua ipsi concedebatur, in lectione, sæpe etiam in scriptione, materiarumq; præsertim Theologicarum meditatione omne tempus collocabat. Ac præcipue Textum Sacrorum librorum, Interpretesq; probatores tam Veteres quam Recentes diligenter ac studiose euoluebat. Viros etiam eruditionis laude celebres, vbiung commendari audiuisset, partim in Ecclesijs, partim Scholis ditionis suæ ut seruirent, amplis & honestis stipendijs inuitabat. Ideoq; Ecclesiæ & Schole ipsius, Viris doctrina ac pietate præstantibus semper floruerunt. Ardens erat in eo veræ & incorruptæ Religionis studium, in fouendis & alendis, ab omniq; iniuria defendendis Ministris verbi sanam & puram doctrinam profitentibus, liberalitas insignis. Corruptelas omnes Catholicæ & Orthodoxæ Doctrinæ, furores & deliria erronearum opinionum, quibus consensus Propheticorum & Apostolicorum scriptorum conuelli, vel quoquo modo puritas Euangelij contaminari, aut deniq; concordia publica labefactari videretur, toto pectore detestabatur: *Quin acerrimo Zelo veritatis* ab omni labe errorum afferendæ feruens, donec vixit nulla planè turbulenta innovatione, aut Dogmatum à publico & pio Ecclesiæ veræ consensu dissidentium

propugnatione, Ecclesias suas turbari vel scindi pa-
sus fuit. Ut autem sedem etiam aliquam honestam, pro
reuerentia ministerij ad congressus Ecclesiæ publicos
fundaret, Templum in hac Urbe Sarospatak, ubi fre-
quentius Aulam suam habebat, priuata impensa ere-
xit, pro Regionum istarum modo sumptuosum & ma-
gnificum. Gubernatio præterea talis erat, ut in ea
virtutum Politicarum Illustria eminerent exempla,
prudentiae scilicet, iusticie, grauitatis, moderationis ac
clementiae, cum quadam severitate conditæ, castitas in
vita domestica per omnem ætatem inculpata fuit. Co-
mitas & facilitas erga subditos, à quibus adibatur a-
mabilis, nisi quod morborum asperitas paulò difficilio-
rem postea illum reddiderat, citra omnem tamen incle-
mentiam. Patientia etiam in morbis ac fortitudo ad-
mirabilis, quibus per naturæ & valetudinis imbecillita-
tem sœpè tentabatur, ætate præsertim maturescente,
grauissimis. Legum & Iudiciorum vindex & defensor
erat acerrimus. Ac sicut innoxij Ciubus quietem &
securitatem præstabat, omnem ab illis iniuriam prohi-
bens: Ita flagitosos, rapinis vel latrocinijs infames, ac
præsertim vagarum libidinum fœditate se polluentes
(nullum enim scelus peius oderat, aut grauius punie-
bat) procul ex suis finibus arcebat, pœnas legibus de-
bitas rigidissime ab eis exigendo. Quin homines suæ
ditionis, quam per amplam & populosam habebat, ab

omni

omni iniuria & maleficio tuti, rem suam familiarem li-
berè administrabant, agros & vineas colebant, neq; ra-
pacitatem aut violentiam prædatorum alienas faculta-
tes sèpè inuadentium pertimescebant. Porrò cum in fa-
tales easq; tristissimas Patriæ mutationes vita Princi-
pis nostri incidisset, atq; ideo operam ipsius & fidem, in
varijs Regni difficultatibus, Repub. requireret, nec la-
boribus nec impensis pepercit ullis, quin ad omnem oc-
casione Patriæ salutarem se offerret promptissimus.
Vnde ad amplissimas etiā Dignitates et Præfecturas
proiectus est. Nam Anno ætatis 22, Anno Christi
1554, 8 Martij, Supremus Regni Vngarici Dux &
Capitanus à Rege Ferdinando constituitur. Quamuis
autem ætas tantæ molis Gubernationi, tempore præ-
sertim turbulentissimo, impar esse videretur: Tamen
cum & ipse diuina quadam ingenij solertia, virtute, ac
inuicta animi magnitudine supra ætatem excelleret,
Confiliariorum etiam & Prælectorum Militarium,
quos Insignes semper apud se habebat, fideli & prom-
pta opera vteretur, eximia cum laude Magistratum il-
lum gescit: Quamq; labanti iam & ad ruinam per præ-
ceps tendenti Patriæ opem ferre potuit, bene mereri de
Repub. conatus est. Sub idem tempus & Thauer-
nicorum Regalium Magister creator, cuius ad Munus
pertinet liberarum Ciuitatum controuersias cognoscere,
si quando ad Aulam Regiam deferuntur. Hæc etiam
dignitas

dignitas inter Clarissimos honores, qui Familyjs Illustribus à Rege deferuntur, haberi solet. Hinc etatis anno 31, Anno Christi 1563, Decemb. 27, cum iam etate ad iustum maturitatem progressus, & alioqui naturali quadam iudicij in rebus grauissimis sagacitate pollens, vsu deniq; familiariq; consuetudine sapientum virorum, qualium frequenti corona Aulam suam exornare gaudebat, multa doctus, in summo quoq; Imperij Senatu, Consilio & Prudentia iuuare posse Rempub. videretur, in numerum Consiliariorum Imperatoris & Regis Ferdinandi consentientibus Optimatum suffragijs cooptatur. Vbi in Publicis ysq; arduis Regni deliberationibus, sapientia excellens, iudicij dexteritas, consilijq; promptitudo magno vsui fuit Reipub.

Tandem, cum ad Annum Christi 1567, currens, etatis vero sue 35, qui etiam vita ultimus fuit, peruenisset, Supremus Curiæ Regiae Iudex 10 Ianuarij eligitur, quæ dignitas in hac reliquiarum Regni trialaceratione ac dissipatione, proxima post Palatinatum censemur: Is enim honor, Regno scilicet amplissimo in has angustias redacto, iam expirauit. In eo Magistratu, inualesceente morbo Articulari, qui postremis annis grauiter illum afflixit, diu operam suam praestare Reipub. non potuit, in ipsis statim auspicijs adeptæ huius dignitatis extinctus. Cum enim ad Publica

blica Regni Comitia ab Imperatore & Rege Maximili-
ano mense Maio, Posonium euocatus fuisset, quamvis
corpore totus languens, ex morbig. atrocissimi diutur-
na vexatione planè attenuatus & confectus: Nihilos
minus afflīctæ etiam & perimbecillæ valetudini parce-
re noluit, modo ipsius præsentia iuuari posset Respub.
Itaq; partim ex vexationis illius insuetæ impatientia,
partim vero æstus feruentissimi, quo per totum iter tor-
rebatur, violentia, partim deniq; morbi iam confirmati,
tabificoq; alui fluxu accidente, exasperati sœuicia, vi-
res naturæ languidas opprimente Posonij 28. Iunij pla-
cidissimè extinguitur, in vera filij Dei Domini nostri
Iesu Christi, quem toto vitæ suæ cursu sanctissimè co-
luerat agnitione, postquam assiduis & pijs precibus,
Spiritum & Patriam afflīctam Deo commendasset.
Quem nunc ex corporis huius ærumnoſi ergastulo libe-
ratum, consuetudine sanctorum Angelorum ac beato-
rum in cœlesti illa Patria, ad quam semper toto pecto-
re aspirabat, lætum perfrui nihil dubitamus, ex illorum
numero eum esse certo credentes, de quibus scriptum est;

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Cum ergò Spectabiles & Magnifici Domini,
Generosaq; Nobilitas, tam salutari, pio, moderato ac
sapiente Gubernatore sit orbata Pannonica Respub.
meritò luget, suumq; verum dolorem publica testatur
mæsticia. Habitum mutauit frequentissima concio,

D commu-

communisq; Plebs, Parente optimo se orbatam flebiliter
queritur. Amisimus enim Sp. & M. Domini, No-
biles Generosi, Civesq; Ornatisimi, amisimus inquam
veræ Religionis, pietatisq; Christianæ Vindicem, Pro-
pugnatores & Tutores acerrimum. Qui sinceræ de
Deo doctrinæ assertor pientissimus, communis omnium
in Ungaria Ecclesiæ Christi Ministrorum Patronus
verissimè habebatur, ut potè quorum plerosq; propter
confessionem in vincula coniectos, ex carcere etiam li-
berasset. Omnes, hic, impias, hæreticas & scandalosas
opiniones, contentiosas & inanes rixas, quibus pax &
tranquillitas Ecclesiæ in ista ambitione inquietorum
ingeniorum disturbabatur, procul ex his Oris
remouebat. Amisit Procerum ordo, Nobilitasq;
Pannonica Principem Stemmatis Vetustissimi &
Clarissimi, in quem iam unicum oculi omnium defixi,
spesq; reliquiarum Regni afflictiissimi, tanquam per fu-
gium quoddam ultimum relictum, recumbere videban-
tur. Et quidem amisit, in tanta paucitate, ne dicam
extrema defectione Familiarum illarum Illustrium,
quarum fætura, vel regnante Matthia, fæcundissimum
fuerat Regnum Ungaricum. Amisit Plebs etiam Pa-
tronum ac Curatorem beneficentissimum, Subditorum
Protectorem & Pastorem vigilansimum, in omni-
um Provincialium, in maximis vel proximarum Tar-
taricarum vastationum periculis, asylum certissimum

¶ tutissimum. Amisit deniq; quod sine lacrymis dicere
nequeo, & Schola nostra, in modo vniuersa res Literaria,
magno cum bonorum studiorum & irreparabili dispen-
dio, Mæcenatem benignissimum, sub cuius Patroci-
nio, liberaliꝝ nutricatione, domicilium certum, alimen-
ta copiosa, requiem constantem, præsida deniq; omnia,
nobis nostrisꝝ Musis polliceri magna cum fiducia non
verebamur. Hic enim tanquam Princeps Sapienti-
simus, Consilioꝝ solertissimus, cum optimè intelligeret,
quantum conferret ad salutem & incolumentem sta-
tus publici, Scholas tueri, artiumꝝ honestarum studia
fouere, & alioqui ipse doctrinæ esset cupidissimus, Vi-
rorumꝝ aliqua eruditionis commendatione Clarorum
non iniquus æstimator, Scholas in sua ditione florentes
semper ut haberet solicite prouidit, ac præsertim in Ci-
uitate Sarospatach, ex qua velut ex equo Troiano, Vi-
ri p̄j & docti, qui nunc paſſim per Vngariam magna
cum laude in Scholis & Ecclesijs seruiunt, prodiere.
Cumq; in tam funestis Patriæ nostræ perturbationi-
bus, dissipatas circumquaꝝ & fugatas bellorum imma-
nium fœdis tumultibus videret bonas literas, Cœperat
velut ex naufragio, Musas incertis sedibus palantes ite-
rum usq; ex Transſyluania recolligere, in hacq; sede,
quam studijs nostris, tanquam quietiorem & magis op-
portunam in sua ditione delegerat, omni ope ac liberali-
tate complecti, ut nihil studiorum Iuuentutis comnodis-

itatibus deesse pateretur." Adornabat etiam in vicina
Neapoli Scholam multò frequentiorem, quam donatio-
nibus munificis ornare, fundisq; opimis dotare decreue-
rat, si longior illi vita contigisset. Atq; vtinam plenius
paulò curriculum tām liberali ac propicio Musarum
Nutricio, Parca studiorum bonorum commodis hac
in parte malignior non inuidisset. Maximam certè
spem Optimus Mæcenas amplissimæ erga doctrinæ stu-
dia voluntatis excitauerat, quam summo etiam cum
Reipub. bono, re fuerat comprobaturus. Hæc autem
orbitas eò acerbior nobis, qui Musas in perpetua tre-
pidatione hostium ceruicibus nostris incumbentium
colimus, accedit, quod infelici isto & deplorando secu-
lo, raros, imò vix vnum aut alterum conspiciamus ex
Optimatibus adhuc reliquis, qui literarum fouendarum
curam, Scholarumq; conseruationem in hac teterri-
morum bellorum Ciuilium & externorum funesta
graffatione, ad suum putarent pertinere officium. Inde
fiet, vt Barbaries Turcica, cum Imperij sui limites lon-
gius in dies promouendo, rabiosius in Gentem nostram
sæuiat, studiaq; disciplinarum necessariarum pietatisq;
Christianæ, passim, vt oculis cernimus, in hac seruitu-
te fœdissima negligantur, (Ad illarum enim culturam
fructuosam, mediocribus omnino Halcyonis opus es-
set) paulò post non tantum Religio vniuersa, sed bone-
starum etiam artium studia, vnaq; omnis humanitatis

ac disciplinæ civilis constitutio, in hac Gente miserrima
prorsus intereat.

Dignissimè igitur iustissimisq; de causis deflemus. Spe
Etabiles et Magnifici Domini, Nobilitasq; Ornatisima,
præmaturū Reipub. q; nimium intempestiuū obitū Illu-
stris Principis nostri, vniuersusq; Ciuiū ordo pullā vestē
indutus tām lacrymis q; lamentis et vultu, publicam luct-
us testificationem nō iniuria ostendit. Occidit enim, occi-
dit, Princeps, pietatis, pacis, quietis ac salutis Patriæ
studiosissimus, Tumultuum, dissidiorum intestinorum,
nefandorum bellorum ciuilium (quæ Patriam mise-
ram in has ærumnas & clades nunquam explicabiles
coniecerunt) hostis infensissimus. Nihil aliud vn-
quam præter commodum publicum, incolumentemq;
Patriæ spectauit. Nullius vñquam factionis aut mo-
tus seditionis, Reipub. q; noxy excitati reus agi po-
test. Nullum etiam per vim iniustum aut Tyranni-
dem oppressit. Quin potius apud omnem posteritatem
hoc nomine prædicandus, quòd ruuentem iam ad exci-
dium, Fatis sic volentibus, Patriam, omni conamine,
labore, consilio opibusq; fulcire, in statum tolerabilio-
rem restituere, pacem deniq; & tranquillitatem com-
munem, qua nihil vñquam carius, vel antiquius habu-
it, tueri conatus sit.

Ac certè meritò dixerim illum scopulis marinis
rigidiorem, imò omni Tigride sæuorem, qui ad con-

spectum & considerationem calamitatum Patriæ oculos positarum, quarum maximam partem ferimus singuli, cuiuscunque ætatis & conditionis existamus, non totis visceribus commoueatur. Ut enim clades tum veteres tum recentes Vngariam deploratissimam inde ab anno Christi 1441, quo Belgradum ab Amurathe Turcarum Imperatore septimo primum oppugnatum est, (florente nimirum inuictæ Virtutis Herœ illo Iohanne Huniade, Viro æterna memoria dignissimo) sine intermissione excipientes præteream: Circumspicite quæso Vetustissimarum & Præclarissimarum Familiarum reliquias, illarum scilicet, quæ fortissimis in Turcum hostem virtutis suæ editis facinoribus, felicissimos de Barbaris Triumphos sæpè reportauerant, indeq; decus eximium gloriamq; semper victuram sibi parauerant. Inuenietis vel ab infausta illa, atroq; semper carbone signanda clade Mohaciana Anni 1526, (Nam de prioribus temporibus nunc non est dicendi locus) Stirpem Nobilem bellatorum Heroum magis ac magis quasi Fato quodam deficere cœpisse, ad eamq; iam paucitatem redactam, vt vix duo vel tres superesse videantur, in quorum virtute ac industria reliquæ Regni spem aliquam ponere melioris in posterum status posse videantur. Florebat certè non ita dudum Potentissimum Vngarie Regnum fæcunda Procerū Vetustissimæ Stirpis sobole, dum Fata patie-

patiebantur, in vegeta adhuc & florida maturitate
constantis aetatis illam vires suas exercere. Verum fa-
tali post & periodica ingruente conuersione, vergen-
tibus, extincto praesertim Matthia, rebus omnibus in
deterius tam priuatim quam publice, multitudine eti-
am hostium, vires nostras languescentes opprimente,
Crescentibus insuper factionibus funestissimis ex sum-
mo illo potentiae ac gloriæ in ænulo progressæ fastigio,
in seruitutem istam teterrimam demersum est, ut vel
vestigia prioris illius Pannonicæ non appareant. In
qua certè non sine Vicinarum Gentium turpi dedecore,
Hostem immanissimum tam impunè in Nationem non
malè de Europa Vniuersa meritam grassari patienti-
um, nunc miserrimè conflictatur, nihil aliud dies ac no-
ctes quam excidium crudelissimum, si Imperata Tur-
cica facere recusauerit, expectans. Adeò grauem &
atrocem Dei aduersus Gentem Pannonicam indigna-
tionem, vel hæc Stirpium Antiquissimarum fatalis de-
fectio, Tyrannisq; acerbissima, qua premimur, ostendit,
ut interim nihil dicam de mutationibus longè tristiori-
bus, quas Familiarum Illustrium interitum comitari,
Historiæ omnium temporum, adeòq; experientia perpe-
tua docuit. Quamdiu enim Deus Imperia in tolerabili
aliquo & tranquillo statu vult conseruari, donat sem-
per viros Principes, sapientia, virtute, autoritate &
felicitate illas armat, ut salutaris existat eorum Guber-
natio,

natio, possintq; donec ipsi visum fuerit, pacem Reipub., Religionem, studia artium utilium, leges honestas, disciplinamq; Ciuilem tueri. Tales, quorum perpauci adhuc supererant, cum iam omnes fermè Deus Patriæ nostræ subduxerit, certissimum est argumentum, sceleribus nostris atrocious irritatum, nondum adhuc pœnarum quamvis acerbissimarum finem & modum velle facere. Nihil iam dicam de flebili illa, nullaq; humana facūdia dignè deploranda, superioris anni ac proximorum etiam mensium calamitate, quam immanitas Barbarissimarum Gentium truculentia plus quam Diabolica, ferro, igne, & rapinis obvia quæq; furenter depopulantium, in seruitutemq; morte ipsa tristiorum, tormenta item exquisitissima, miserrimum & inerme vulgus, velut pecora abigentium, Tartaricæ scilicet & Turcicæ edidit, adeò ut nulla vñquam clades acerbior cruentiorue post Mohacianam illam, tot Procerum Nobilissimorum, ac Regis ipsius cæde fædatam, Patriæ extiterit. Quin flammantes à Turcis incensos agros, vix vñico ab hac vrbe milliari vel hac æstate oculis conspeximus, multaq; millia fratrum nostrorum penè in conspectu nostro cum ingenti præda abripi, ut fremitum, & hinnitum hostilium equorum exaudire possemus. Nam de luctuosa vastatione anni præcedentis 1566, qua totus hic tractus Bodrogi annis, amoenitate situs affluentiaq; non tantum pi-
scium,

scium, sed rerum omnium ad vietum pertinentium, nul-
li Pannoniae Cis Tibiscane Parti secundus, per furen-
tes infernali rabie Tartaros, vnicā nostra Urbe ista in-
columi manente, ad Cassouiam usq; & Beregazium
flamma & ferro absemptus, ac solo crudelissime aqua-
tus est, nunc non sinit dolor dicere. Nullum enim um-
quam fædus, vel magis miserandum spectaculum vi-
dimus, cum præter rudera, & cimeres vix dum sopi-
tos exustorum & adhuc fumantium Oppidorum, ac
Vicorum, frequentibus antea incolis habitatorum, mi-
serrimi Coloni, qui diræ cladi superfuerant, regressi,
sedemq; suam pristinam cum lacrymis requirentes, ni-
hil omnino cernerent. Quin maxima pars eorum, vel
loca ipsa domiciliorum quæ paulo ante inhabitauerant,
non poterant agnoscere. Sicq; abscedentibus, audita
morte Solymani, hostibus, alijs cauernas subterraneas
instar Troglodytarum sibi fodiebant: Alij vero con-
Jarcinatis vtcunq; ex farmentis & virgultis, humilibus
casulis, stramineq; vili tectis, hyemem afferrimam, cum
vxoribus paruulisq; liberis, in extrema mendicitate
victus cogebantur traducere, utpote quibus præter la-
ceras sordidarum vestium reliquias, incendio absum-
ptis, vel abreptis per hostem omnibus, nihil planè fu-
peresset, ut vel atro pane crudelem famē liberorum eiu-
lantium solari non possent. Tunc certè Ciuitas hæc no-
stra, quam umbraculo potentis dextræ suæ protensa

E inter

inter medios hostium furores, impressiones quotidianas
in suburbia ipsa, extremo conatu facientium, miracu-
losè conseruauit, luculentissimum, ac ipsis penè mani-
bus palpandum Diuinæ Protectionis ac Prudentiæ
habuit testimonium.

Taceo & illud, quod eodem simul tempore, quo
Fata ipsa ad excidium nostrum conspirasse videbantur,
amiserimus Giulam, propugnaculum Regni munitissi-
mum, vna cum tractu TransTibiscanæ Pannoniæ
Nobiliissimo, Viris pugnacissimis, Duce denum La-
dislao Kerechenio laudatissimo. De cuius urbis situ,
non ingratum fortasse fuerit aliquid inferere. Giulæ Ci-
uitas amplissima, ad Chrysium amnem in Transsylvania
ortum, à quo interluitur, cuiq; aurea ramenta, quæ
voluere consuevit, nomen dederunt, posita est, in comi-
tatu Zarandiensi, 12 circiter à Temesuaro milliaribus.
Ubertas soli mira, pecoris, frumenti ac vini feracitate,
per longum tractum porrectum inter Marusium &
Chrysium fluvios, feliciter luxurians. Urbs ipsa
vetustissima à Giulæ Hunnorum Duce, qui & Albam
Iulam in vicina Transsylvania vel fundauit, vel certè
restaurauit, cognominata creditur. Habet ea arcem
quog; natura loci, multoq; opere firmissimam, quæ post
amissum Chanadinum, Lippam, Themesuarum, reli-
quaq; meridionalis illius Pannoniæ Castella, per annos
complures, Turcarum perpetuas incursiones fortiter
sustinuit,

sustinuit, illamq; Oram latissimè, vñq; ad Tibiscum &
Danubium tutata est, cum præsertim assiduis Præ-
lys exercitato milite veterano, semper abundaret, mili-
taresq; Praefectos, Pugnaces, & acres haberet. Sed
anno proximo 1566, Solymanus Perthalem Bassam
cum Centum Millibus armatorum ad obsidendum eam
cum misisset, per totos menses duos, à 2 Iulij scilicet,
vñq; ad 2 Septembris, dies ac noctes, omni genere ap-
paratus Bellici, sine intermissione oppugnata, ad po-
stremum, quamuis fortissimè propugnantibus obfessis,
domita & in Potestatem hostium redacta est, cum in-
estimabili totius Prouinciae dispendio, captis aut tru-
cidatis ferè ad vnum Propugnatoribus, desideratis au-
tem (vt fertur) quindecim Turcarum millibus.
Non multò antè (29. Augusti scilicet) perijt Zige-
thumi, arx, insularis situs naturali munitione, arteq;
Validissima, Simigensis Prouinciae caput, frustra &
anno 1556, instructissimis Turcarum copijs tentata,
sed tandem anno Superiore ipsius Barbari Imperatoris
Solymani immenso apparatu, exercituq; non pauciorum
quam 500, vt fertur, millium per duos menses multo
cum cruento expugnata, cæso isthic Heroe fortissimo
Nicolao Sdrinio, Croacie Bano, Bellatoribusq; lectis-
simis, cum quibus certè flos reliquiarum totius militiæ
Vngaricæ occidit. Quamuis victoriā eam ipsius Tyrani-
ni etiam Turcici Mors, qua in illa obsidione teterrimā

exhalauit animam, ac ducenta fermè millia Turcarum
in oppugnatione amissa, non minus funestam ac lacry-
mosam etiam hosti reddiderit, quam Rhodi expugnatio
Anno 1523 fuerat, quanuis ea obsidio totos vndecim
menses durasset. Iam verò quibus rabies saeu Martis
adhuc pepercerat, & ad aliquas meliores spes Patrie
reservauerat, en mors violenta domi abripit, vt omni
humano præsidio nuda Repub: Vngarica, tandem
non multo post funditus occasura videatur.

Ac fortasse iactura laudatissimi Principis nostri,
immatura morte propter ingratitudinem nostram dona
Dei æstimare non solitam, præcepti, minus esset acer-
ba, si hæredem aliquem reliquisset, qui Gubernationis
onus excipiens, ipsiusq; virtutum, quarum exempla
præclara reliquit, imitationi succedens, laboranti, om-
nibusq; iam præsidij orbatæ Reipub. succurrere cona-
retur. Sed inuidenterunt Fata iam dudum irata, hanc
quoq; non postremæ felicitatis usuram Patriæ afflictissimæ,
ita in Familiam Perenam Sexcentorum Anno-
rum Vetustate multisq; rebus pro Patria fortissimè ge-
stis, Nobilissimam, dignitate, potentia, opibus ac
honoribus semper ad nostram usq; ætatem Clarissimam,
cum ultimo isto hærede radicatus excinderent. Adeò
nullum iam nobis solatum, in tanta rerum desperatio-
ne, nullumq; certum perfugium, in hac Familiarum
Heroicarum fatali interitu reliquum est, nisi vt con-
uertamus

uertamus ad te oculos nostros Domine Deus Clementissimè, Protector, Defensor, ac Pater noster vnice, orantes suppliciter, ut tandem intolerandas miserias afflictæ Gentis mitiges: Rempub: Vngaricam tot bellorum infandorum tempestatibus durissimè quassatam, lanienis Ciuilium dissidiorum exhaustam, & penè ad extreum excidium vastatam, clementioribus tandem oculis digneris respicere. Duces salutares in hac fribili orbitate nostra sufficias, qui pro gloria sanctissimi nominis tui afferenda, saluteq; Patriæ, nullo iam humano Patrocinio subnixæ, sanguinem ac vitam ipsam profundere non recusent, aliquamq; ruenti Pannoniae opem afferant. Nisi enim pro tua inexhausta bonitate nostram sortem miseratus, Pœnarum, quibus tamen longè grauiores promeruimus, modum aliquem feceris, ac rabiosè graffantem Tyrannidem istam Turcicam, dirasq; in Sanctum nomen tuum, Dominumq;, ac Deum Nostrum Iesum Christum blasphemias euomentem potenter represseris, haud dubie, vagi, profugi & exules omnes erimus in terra aliena: Tuæ laudis ac nominis in Gente Vngarica conticescet celebratio, post quam iniuritates nostræ sicut venti dissipauerint nos, instar Gentis Iudaicæ in seruitutem tristissimam abreptæ finaliæ dissipationem deductæ, propter infanda, quibus te ad iram olim pronocauerunt flagitia.

Quare ut tandem querelis istis lugubribus finem
faciam, Spectabiles & Magnifici Domini, Nobilitas
Generosa, Civesq; Honestissimi, Princeps quidem no-
ster defunctus, & ex hac ærumnarum valle, ad æter-
nam illam beatitudinem conuictumq; cœlestem trans-
latus, suo nomine lugendus non est. Nam donec vixit,
Genere, autoritate, gratia, opibus, summisq; dignitati-
bus florentissimus, vitam in Vera Dei agnitione et inuo-
catione traduxit, in varijs ijsq; difficultimis Patriæ tem-
poribus promptam, fidelem et utilem operam, magna cū
laude Reipub. præstítit, Familiæ Perenæ Illustrè glori-
am, Auitumq; decus ad ultimum Vitæ terminum lau-
dabiliter conseruans, ac non dubia spe ad æternam cum
Deo societatem ex hac mortali & ærumnosa vita com-
migrans. Nam de difficultatibus nonnullis, quibus fa-
tales miseriae temporum ipsum quoq; quanuis ab omni
nouandarum rerum studio alienissimum, etiam inuitum
implicuerunt, candidi & æqui censores, sicut de viuo
sic etiam de mortuo, nimis asperè, & inclementer non
indicabunt. Si præsertim benignius expendent, ad
subitas & improvisas Imperiorum conuersiones, qua-
libus velut Euripi subinde adhuc iactatur patria
turbulentissima, Sapientissimos etiam viros, consilio-
rum suorum rationes citra omnem turpitudinem &
infamiam accommodare solere, præsertim si causas ha-
beant

beant graues, quibus peruincentur, vt necessitati temporum, contra quam alias frustra pugnarent, assentiantur, sicut Cicero ipse Philosophorum πολιτικών τόπος ali cubi eruditè disputat.

Vale ergò Princeps Inlyte, multis præclaris in Rempub. meritis Ornatisime, hasq; pias exequias, quas nos Clientes addictissimi, tibi Patrono benignissimo alacri studio, in testificationem pietatis in æternum debitæ offerimus, clementer accipe. Nihil enim habemus amplius, quo triste tui desiderium leniamus, mæsticiam publicam, luctumq; acerbum, quo te præpropera morte eruptum deflemus, testari possimus. Tua certè memoria, beneficiorumq; in Patriam & Ecclesiam collatorum, viuet ad gratam Posteritatem religiosa recordatio, si reliquias nonnullas Gentis Vngaricæ, conseruari placuerit illi Deo, à quo Unico Spes iam omnes incolumentatis, fortunæ ac salutis nostræ dependent. Quod vt pro sua clementissima benignitate faxit, nec nos qui sanctum ipsius nomen piè colimus, Patriamq; omnium toto Orbe Gentium ærimumissimam ad internacionem usq; deleri, per blasphemos Christianiq; cruoris inexplebili siti ardentes Turcas patiatur: Quin Ecclesiam semper aliquam per puram Euangelij doctrinam ex hac etiam Gente Pannonica ad

ad extremam paupertatem redacta colligat, cætus discen-
tium ac docentium contra omnium impiorum furores,
potenti dextra tueatur, ardentibus votis, per Fi-
lium suum Vnigenitum, Mediatorem ac Sal-
uatorum nostrum Vnicum
imploro.

D I X I.



EPITHAPHIVM
EX VTRQVE LATERE
SEPVLCHRI MARMOREI
EXCVLPTVM,
EODEM AVTORE.

Pannoniae Proceres inter Clarissimus Heros,
Vnica spes Stirpis, lux, gloria sola, Perenæ,
Religionis honos, Patriæ Pater (heu breue Regni
Solamen) Populi dubijs in rebus asylum:
Pacis amans sanctæ, bellis ciuilibus hostis,
Imperioq; bonis clemens, ut sotibus asper,
Securam solitus requiem præstare colonis,
Musarum Portus, tuus ô Ecclesia Vindex:
Quo Duce Pannonicis spes fulsit lætior aruis,
Quo moriente labant, & squalent cuncta videmus:
Hic iacet ad luctum Regni Patriæq; perennem
Illustris Gabriel Procerum decus ille Perenus
In Templo sibi quod pridem fundauerat ipse.
Qui licet hic summis perfunctus honoribus amplius
Iam nomen meruit, cui funera nulla nocebunt:
Stemmatis ecce tamen fatalia stamina Prisci,
Quod per sexcentos nunquam defecerat annos
Finijt, & Patrijs obdormijt ipse ruinis.
Hunc Petrus in tumulum sua clauserat ante Perenus
F Offa

*Offa Parens, hanc qui vallauit mœnibus Vrbem,
Clara debinc Mater, Zekelini sanguinis illa
Cum natis geminis, rapuit quos Parca priores.
Ultimus his Gabriel iungit se nominis bæres,
Quæ nunc tota Domus cantat super æthera Christum.*

INSCRIPTIONE AREÆ
SEPVLCHRALIS.

*JLLVSTRI ET MAGNI-
FICO HEROI, GENERE, PIETA-
TE, & Virtute Inclito, de Repub. & Ecclesia Vn-
garica optimè merito, Gabrieli Pereno, comi-
ti perpetuo Comitatus Abaszvuiarensis, Supre-
mo Curiæ Regiæ Iudici, feliciter & sanctè mor-
tuo, anno ætatis XXXV. Christi 1567, Junij
28, amoris constantis ergo, mœrens mul-
tis cum lacrymis, Coniux fidissi-
ma Helena Orzag
posuit.*

VEXILLI AD TUMVLVM
Erecti Inscriptio. D.M.S.

*GENERE MAGISTRATIBVSQVE
G Spectabili, Opibus Magnifico, Domino Gabrieli
Peronio*

Perenio, Comiti Aba^wyariensis Comitatus Perpetuo,
Eodem Anno, Summo Militiae superiorum Partium
Vngariae Praefecto, & Thauernicorum Magistro, Con-
siliario Sacræ Cæsareæ Regiæ Maiestatis, & postre-
mò Iudici Curiæ Regiæ, quem Posoniū in conuentu
omnium Baronum, lethalis dysenteria confecit 28 Junij,

1567. Vixit Annos XXXV, Menses XI.

θ. Vxor Helena Orzag
Mœsta F.F.

ALTERA FACIES VEXILLI. D.M.S.

GABRIELI PERENIO, MAXI-
mo Heroi, finitam ob posteritatem Pereniacam
misерando: Virtutem Perenniem felici, Cuius sexcento-
rum annorum Familiam Illustrem, cum Regni Spe exi-
guæ, breuis hora extinxit, memoriam tantum reliquam
fecit. Ultimus hic hæres, Patriæ penè cineribus suos
coniunxit, æterna spectans, nomen futuræ Vitæ conti-
nuum paravit. Vixit Annos XXXV. Menses XI.

θ. vicit Anno 1567. IIII. Cal. Quint. Tri-
umphat æternum.

Vxor Helena Orzag, mœsta amoris
ergo posuit.